

1771

C O D I C E S

1772

DCCXXXVIII.

R. 3158 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 46. 4. min. bene scriptus et rubricis enotatus hanc Notam praefert: *In hoc Libello continetur primo epistola fratris Humberti quinti Magistri ordinis predicatorum quam scripsit de tribus essentialibus ordinis. et de quibusdam virtutibus. et hanc epistolam per totum ordinem et singulas provincias misit. Post hoc statim sequitur epistola fratris Boneuenture de balneo regio et multum bona. Hunc vero libellum scripsit manu propria Venerabilis Pater dominus Henricus tertius Prepositus huius Monasterij sancte Dorothee virginis et martiris. Anno domini M. CCCC. XVII. Iste bonus Pater fuit Magister arcium et Baccalarius in theologia ac Collegiatus (Collegii Ducal. membrum). Orate karissimi pro eo dominum deum benedictum et gloriosum. Idem etiam venerabilis Pater post epistolam fratris Bonaenture scripsit etiam propria manu aliqua notabilia pro temptatis. Epistolae Humberti jam memini Vol. I. P. 2. col. 2441. Epistolam Bonaenturae habes in Edit. Opp. Lugd. 1668. T. VII. p. 14. Obliti sunt Editores eam in Elencho praevio adnotare; incipit vero: *In Christo suo dilecto &c. Quoniam dilecti mi frater in domino adhuc me in presentia &c.* et titulum praefert: *Viginti Quinque Memorialia. Quae de Tentationibus, Mentis**

confidentia, Scrupulositate, Modo resistendi adjecit *Henricus*, si quidem propria ejus cogitata sunt, virum in via Spiritus probe versatum ostendunt.

DCCXXXIX.

Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 105. 4^{to}. probe scriptus, rubricisque nitide distinctus, et quondam Parthenonis *Halensis Tyroleas* res ad B. *Birgittam Suecicam*, conditumque ab ea S. *Salvatoris* Ordinem pertinentes complectitur, quas juxta praemissum Indicem recensebimus. 1) *Regula O. S. Salvatoris*, prout extat in *Mariani Brockie Codice Regular. T. III. Aug. Vindel. 1759. p. 107. f. ab Urbano VI.* adprobata a. 1379. Praeit nobis Icon picturata *Birgittae* Regulam hanc Professoribus utriusque Sexus distribuentis, tum Testimonium *Theodorici de Morfa* Archiep. *Coloniens.* datum *Jacobo de Roperstorp generali confessori Monasterii Marienkrone Zwerinen. dioc.* de integritate et sinceritate hujus *Transumpti*, a. 1451. cui Testimonio inserta sunt alia duo videlicet *Nicolai Zwerinen.* signatum in *Capella castri nostri Butzow* a. 1446. et *Kanuti lyncop. Episcopi* signatum in *monasterio wastenen. nostre dioc.* a. 1428. quae tria testimonia et descriptionem Sigillorum iis adpenforum et Notariorum, Testiumque nomina continent, et praeterea tam *Urbani VI.* Confirmationem, quam *Elzarii*

1773

A S C E T I C I

1774

ziarii Card. S. *Balbinae*, cui ille examen *Regulae* commiserat, *Adprobationem* datam ad *Abbatissam*, *Sorores et Fratres Monasterii sancte Marie de watzstuen.* a. 1379. 3. Dec. Quae in *Hagiographorum Antwerp.* qui de *Birgitta* ad diem 8. *Octobr.* commentantur, notitiam venisse non videntur. 2) *Addiciones domini petri prioris Ad Regulam Sancti Salvatoris.* Constant *Capp.* LIV. quae in *Codice Reg.* suprac. non reperi. Praeit *Ordinatio* jam memorati *Kanuti Ep. lincopen.* constituti ab *Apostolica Sede* *Visitatoris Monasterii in watzsteno* data anno 1420. qua hae *Addiciones* deinceps inuiolabiliter observari iubentur, demtis duntaxat *femineae fragilitati nimium onerosis* — videlicet *continue pistrine et potum ceruisie conficere.* *Petrus* ille *Monasterii de Alvaastro* *Ord. Cist.* *Prior* fuit, cuius iterata in vita

Birgitte matris inclite
Festa iocunda suscipe &c.

Quod idem initium *Historiae* five *Hymnis Birgeri* tribuitur in *Chronico Archiep. Upsal.* teste *Erico Benzelio* in *Adnotat. ad Job. Vastovii Vitem Aquilon.* p. 70. *Officium* porro istud etiam, quod *Lectiones* adtinet, differt ab eo, quod inter cetera *Patronorum Sueciae* *Officia* prodiit *Antverpiae* 1651. 5) *Quatuor Missae* pariter notis *musicis* instructae, videlicet pro

Salve decus feminarum
Gemma lucens matronarum &c.

Denis Codd. Theol. V. II. P. II.

Birgittae mentio, nihil tamen de nostris *Additionibus*, ne quidem in *Bibliotheca Vischii*; *Regulas* tantum *latine* vertisse dicitur, 3) *Incipiunt Reuelaciones quas habuit beata Birgitta a Cristo in oratione existens super nouam religionem fundandam.* Itaque excerptae e corpore *Revelationum*, quae saepius in lucem prodire. 4) In frontispicio floribus iucunde depicto: *Historia de sancta birgitta edita per venerabilem dominum birgerum archiepiscopum upsalensem in festiuitatibus eiusdem decantanda.* Scripsit *Birgerus* hic *Birgittae συγγερονος* eius *Vitam* editam a *Bollandianis* T. cit. p. 485. quod non obstat, quo minus *Autor* sit etiam *Hymnorum*, quos ante oculos habemus notis *musicis* impositos, et per *Horas Officii* de *B. Birgitta* distributos, quorum ad *primas Vesperas* initium:

die *Canonizationis* 7. *Octobr.* *Natalis* 22. *Jul.* *Translationis* 28. *Maji*, et *Commemorationis* per annum. Harum prima rursus differt ab ea, quam *Bollandiani* T. cit. p. 478. ad 7. *Octobr.* apud se in *vetusto Missali* *f. l. et a.* impresso existere dicunt. 6) *Oratio de sancta Birgitta.* *Rhythmica* est in 7. *Partes* distributa et totam eius *vitam* percensens, hoc initio:

T t

Prae-

1775

C O D I C E S

1776

Praeterea *Versus chronici de Birgittae*, ejus filiae *Catharinae* et ejus Confessoris *Petri* obitu adjuncti sunt praevio Indici, ut adeo Codex hic Hagiographis *supracitt.* operam haud inutilem locare potuisset.

DCCXL.

U. 1018 Codex membranaceus lat. Sec. XIV. Folior. 14. 4. per duas columnas luculente exaratus, minio decorus, et olim *Job. Fabri Vien.* Antistitis ita inscribitur: *Incipit prologus Regule domus sancti spiritus.* De Ordine isthoc hospitalario ab *Innocentio III.* ineunte Sec. XIII. ita instituto, ut ex Hospitali *Rom.* dicto in *Saxia*, et *Montispe-liensi* fundamenta coalescerent, illicque primus praecesset *Guido Montisp.* Comes, disserit *P. Marian. Brockie* in nova et aucta edit. *Codicis Regularum Holsteniani T. V. Aug. Vindel. 1759. Additam. XLIV. p. 495.* ipsamque *Regulam* exhibet. Ingressus est: *Stephanus diuina miseratione tituli sancte marie trans tyberim presbiter. et Ranerius sancte marie in cosmidin dyaconus cardinalis. Dilectis filijs. magistro et capitulo domus sancti spiritus de urbe romana. et uniuersis rectoribus, fratribus et sororibus aliarum domorum, sub ipsius ordine et magisterio commorantibus salutem in domino. Titulus. Hec est regula sue statuta. que de mandato et auctoritate sedis apostolice. uobis obseruare precipimus a summo pontifice* (addit *Brockieus: Domino Innocentio*

*Papa III.) et ab omnibus sacrosanctae romane ecclesie cardinalibus confirmata. que sic incipit: Praefati duo Cardinales purpuram anno 1212. adepti sunt teste Ciaconio in Vit. Pontiff. et Cardd. T. II. col. 30. Regula porro ipsa per rubricas decurrit in Codice; alio tamen ordine, quam in editis. Ita prima nobis Rubrica est: Quid fratres ex debito querere debeant et non amplius; in editis vero Caput VI. censetur; praecedunt enim, quae de Receptione Novitiorum mandantur, quae fol. demum 6. nobis leguntur. Varias item Rubricas in alterutro Exemplo desunt. Ita ultima nostra: Precipimus uniuersis fratribus et sororibus nostris tam presentibus quam futuris ut nullam familiaritatem habeant cum hominibus fidem romane ecclesie non tenentibus nec credentibus in sanctam trinitatem; quae inscribitur: De perfidis fugiendis, abest ab Impresso. Econtra noster Codex v. g. non habet Caput LIX. De Cunabulis Puerorum, et plura alia, quae successu temporis aut addita, aut resecta, aut mutata sunt; Exemplar enim impressum vulgatum est a Praeceptore et Magistro gen. Ordinis *Bernardino Cyrillo Aquilano* anno primum 1564. quando nostrum jam Sec. ut dixi, XIV. exaratum fuit, atque ita primaeva Regula videri potest. Habet illud fol. 12. p. 2. adjunctum etiam *Ordinem ad induendum nouitios*, quo carent *Edita.* Ad calcem legas: *Marcus Bolld &c. Cesaree M^{is} &c. Capellanus Miles utriusque Preceptor et Com-menda-**